

REVERENDISSIMO  
<sup>AC</sup>  
SERENISSIMO  
PRINCIPI  
<sup>AC</sup>  
DOMINO, DOMINO  
JOSEPHO  
CLEMENTI  
S. R. I. ELECTORI,  
<sup>ET</sup>  
ARCHI-EPISCOPO  
COLONIENSI,  
EPISCOPO  
<sup>AC</sup>  
PRINCIPI LEODIENSI  
<sup>ET</sup>  
RATISBONENSI,  
COADJUTORI HILDESIENSI  
<sup>ET</sup>  
ADMINISTRATORI BERCHTESGADENSI.  
V. Bavarix & Pal. ac Westphalix &c.  
DUCI,  
Com. P. R. Landgravio Leuchtenbergico &c.  
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.





REVERENDISSIME

AC

SERENISSIME

ELECTOR



NGRATITUDINIS notam non effugerem, si alteri, quàm Electoralis Serenitatis TUÆ, Nomini Atlantem hunc Marianum inscriberem, utpote tot titulis ac nominibus Electorali Serenitati TUÆ debitum. Ut enim alia præteream, unum alterumve duntaxat memoro. Et imprimis quidem, quia jam olim prima *Geographia* Rudimenta Serenitati TUÆ adhuc Discipulo tradidi. Deinde, quia non mihi tantum, sed toti Electorali Aulæ TUÆ, imò subditis TUIS omnibus, tot argumentis publicis ac privatis Marianam TUAM pietatem adeò testatam Ipse fecisti, ut nemo jam ignorare possit, quòd DEI MATREM ejusque cultum & honorem unicè foveas & cordi TUO inscriptum geras.

Nempe hæreditaria TIBI est Mariana Pietas, & à TUIS Parentibus ac Proavis acquisita, quibus secundum honorem Divinum nihil adeò cordi fuit, quàm DEIPARENTIS cultus & veneratio, quam suo exemplo & autoritate in tota ditione sua eousque amplificârunt, ut vix in orbe terrarum sit Provincia, ubi major cultus, amor ac DEIPARÆ veneratio, quàm in Bavaria: vicissim vix alibi tam multæ tamque frequentatæ Stationes sacrae, DEIPARÆ gratijs ac favoribus inclytæ, quàm in eadem Bavaria. TUA, Serenissime Elector, TUOrumque  
Proge-



Progenitorum Mariana Pietas etiamnum vivit, & celebratur in tot Marianis Sodalitijs: eandem testantur tot DEI paræ Imagines & Statuæ ab ijs erectæ, eandem loquuntur tot templa & sacella ab iisdem DEI MATRI exstructa, vel instaurata, vel certè magnis beneficijs ac muneribus aucta & dotata. Fuit jam olim Marianus ille Zelus certa quasi Ducum Baviaræ Tessera, quam TU, Serenissime Elector, ubique TECUM circumfers, & quocunque pedem ponis, illius signum aut vestigium aliquod relinquis. Serenissime Elector,

Quatuor nunc Dioceses Ecclesiasticas gubernas, & quintam præstolaris, ut ita quinque talentis à DEO ditatus alia quinque pro lucro afferas, necesse sit. Quodsi igitur in quinque Episcopatibus TUIS Magnæ DEI MATRIS cultum ac venerationem exemplo & autoritate TUA constanter promoveris, jam alia quinque talenta lucraberis, quibus cœlesti patrifamilias rationes exigenti haud dubiè satisfeceris. Quidquid enim venerationis ac honoris DEI MATRI confertur, ipsi DEI Filio, Patrique æterno præstari, nemo bonus inficiabitur. Vive igitur, Serenissime Elector, quàm felicissimè, atque, ut diu vivas, exoptant, & DEUM, DEIque MATREM mecum precantur omnes Electorali Serenitati TUÆ devotissimi.

## Electoralis Serenitatis TUÆ.

*Infimus Servus*

H. S. Soc. JESU.